Commentarius in psalmos 77-150 ex Theodoro et Ps.-Petro Laodiceo (cf. cod. 412) maximam partem concinnatus, excerptis aliis auctus (Karo-Lietzmann, *Catalogus*, p. 60; typus XXIII). Inc. mut. *Νόμος ἦν ἀρχαῖος τὰς τοῦ Θεοῦ μὴ κρύπτειν εὐεργεσίας* (Corderius, *Expositio PP. graecorum in psalmos* II, p. 607). Praeter Theodoretum et Iohannem Chrysostomum citantur Basilius, Gregorius Nyssenus, Isidorus, Origenes. Expositiones variae in marginibus exterioribus contractae, longe vero fusiores quam ut ipsius Scripturae *κειμένω* pares respondeant, non semel ad reponendam exinde concinnatam foliis plenis dilatatae sunt (e. g. ff. 34-36<sup>v</sup>. 82-99<sup>v</sup>. 143-152<sup>v</sup>. 190-202<sup>v</sup>. 242-265<sup>v</sup>. 304 ss.). Desiderantur ps. 100, 6-8 post f. 101<sup>v</sup>; 138, 14<sup>b</sup>-23<sup>b</sup> *ἔτασον καὶ γνῶ[θι]* post f. 276<sup>v</sup>; 147, 7 *αὐτοῦ καὶ τήξει αὐτὰ* — 148, 5<sup>a</sup> *αἰνεσάτω[σαν] τὸ ὄνομα Κυρίου* post f. 299<sup>v</sup>. Notae hexaplares.

Praemittuntur <sup>1</sup> (ff. 1-2<sup>v</sup>) <Eusebii?> argumenta in Psalmos inde a οζ' (M. 23, 69-72). <sup>2</sup> (f. 2<sup>v</sup>) canticorum hymnorumque matutini vespertinae index. <sup>3</sup> versus duodecasyllabi, ex quibus nonnulli atramento pallidioris descripti fere evanuerunt (vide G. Sola, *Giambografi sconosciuti del secolo XI*, apud *Roma e l'Oriente* XI, 1916, p. 18-27, 149-153): <sup>a</sup> (f. 3) Theophili grammatici in ludibrium s. Theodori Grapti (*Πάντων ποθοῦντων προστρέχειν*: M. 121, 997 D-1000 A; cf. B. H. G. 1746), <sup>b</sup> (f. 3<sup>r-v</sup>) in Christum *ἀντιφωνητήν* (inc. *Τὴν εὐπρέπειαν ὡς ποθοῦσα σοῦ δόμου*, ed. Sola p. 24), <sup>c</sup> (f. 3<sup>v</sup>) in B. M. V. (inc. *Χρυσός σε βασίλισσαν*, Sola p. 26), <sup>d</sup> (ib.) distichon (inc. *Τριάς τριάς μου τῶν φίλων*). <sup>e</sup> (ib.) <in reliquiis?> (inc. *Ὡς φόρτος ἡδὺς*, Sola

p. 149), <sup>f</sup> (f. 4) in <ecclesiam> B. M. V. (inc. *Ὁν νῦν θεωρεῖς*, Sola p. 149), <sup>g</sup> (ff. 4-5) <in Constantinopolim> (inc. *Ὁπου λόγος πρόεδρος*, Sola p. 20), <sup>h</sup> (f. 5) in <B. M. V.> *τὴν Γοργοπήκοον* (inc. *Ὡς οἶκον εἰδότες*, Sola p. 150), <sup>i</sup> (f. 5<sup>r-v</sup>) epigrammata varia septem (Sola, p. 151), <sup>k</sup> (f. 5<sup>v</sup>) <in Mariam sebasten> (inc. *Τάφος τὸ σῶμα*, Sola p. 152). Nominantur Zoe imperatrix et Romanus [1028-1034], Patricius vestiarius et praepositus, Michael ὁ νέος [Michael IV: 1034-1041] et Zoe.

In fine <sup>1</sup> (f. 320) *ἐκ τῶν μέτρων τοῦ ἁγίου Ἐπιφανίου* excerptum ab editis longe diversum et brevius (inc. *Σάτον μόδ(ιος) κουμού(λατος)*; cf. Hultsch, *Metrologicorum Scriptt. reliquiae* I, p. 274); <sup>2</sup> (ff. 320-321) Libanii characteres epistolares 1-11, 19, 22 tribus spuriiis additis (cf. ed. Weichert, Lipsiae 1910, p. XLV).

Subscriptio (f. 321<sup>v</sup>), litteris inter se colligatis iterata: † *Ὅσοι τὴν παροῦσαν ἀναγινώσκετε βιβλίον διὰ τὸν Θεὸν μακαρίζετε Ἀντώνιον (μον)αχ(όν) ἐν τῷ μεγάλῳ καὶ ἀγγελικῷ σχήματι τελειωθέντα. εὐχεσθε δὲ καὶ ἐμοὶ τῷ τούτου ἀναξίῳ υἱῷ καὶ ἀμαρτωλῷ Χριστωδούλῳ τῷ πανευτελεῖ.*

Libri Psalmorum pars altera, exarata ab uno eodemque scriba, qui membrana factus parciore lacinias utcumque filis assutas pluries adhibuit (e. g. ff. 57. 95. 130. 145. 164. 183. 185. 250. 269).

Folia praevia quinque ex parte priore ni fallor avulsa. Fasciculi qui sequuntur sunt quadraginta quaterniones (si excipias 28 et 39 seniones, 13. 15. 16. quiniones, 21. 24. 31 terniones, 35 binionem, 22 et 25 foliorum septem) in prima cuiusque pagina summa dextrorsum signati (f. 50 ζ', f. 135 ιζ', f. 220 κη'), posterius vero notis novis quae iustum numerum duobus excedunt aucti. Perierunt primi fasciculi pars prior (ante f. 6), folium unum post 101<sup>v</sup> et 276<sup>v</sup>, duo post 299<sup>v</sup> et totidem in fine.

F. 1 foliorum summa (φιλ. τκζ'); ff. 2<sup>v</sup> et 3 monocondylium. In secturis libri clausi litteris capitalibus hodie dissolutis: *ψαλτήριον Δα(ν)ιδ τὸ ξζ' | ἐρμηνευθεῖς (!) | παρὰ τοῦ* (ex τῶν?) *μακαρίου Ἰω(άν)νου Χρ(υσοστόμου)*. F. 319 ante 318 repones.

Integumenti tabulis corio rubro saec. XVIII obductis agglutinatum est dorsum novum, in quo tesseræ gentiliciae Pii IX et A. Mai card. bibliothecarii.

**754** (olim 241). Saec. X in., membran., mm. 350 × 255, ff. 395 (— 1 et 2 omissis), linn. 35. Foliorum 3-36 turbatum ordinem restituimus.

Psalmi et cantica cum catena (Karo-Lietzmann, *Catalogus*, p. 39-41; typus XIII). Praemittuntur <sup>1</sup> (ff. 3-8) inscriptiones et initia CLI psalmorum (excerpta apud Pitra, *Analecta sacra* II, p. 411, ubi codex numero 5 insignitus est). <sup>2</sup> (f. 8<sup>r-v</sup>) inscriptiones et initia canticorum necnon hymni matutini (cf. Pitra, p. 412-413). <sup>3</sup> (ff. 8<sup>v</sup>-9) inscriptiones quae neque apud Hebraeos neque apud ceteros interpretes inveniuntur (Pitra, p. 412).

<sup>4</sup> (f. 9) ex Ioseppi hypomnestico cap. ρη', de libris qui memorantur nec tamen reperiuntur (M. 84, 32 AB; cod. 752, f. 11r-v). <sup>5</sup> (ff. 9-12v) *Εὐσεβίου εἰς τοὺς ψαλμοὺς*, nempe <sup>a</sup> 'Ὁ μὲν ψαλμὸς ἔοικεν — διήρηται εἰς δύο (M. 23, 72-73 B 12), <sup>b</sup> de psalterii quintuplici divisione: *Πᾶσαν δὲ τῶν ψαλμῶν βίβλον εἰς πέντε — ἕως τῶν ἐσχάτων* (fere ut apud Origenem; M. 12, 1056 A 5-12), <sup>c</sup> <de compositione psalterii>: *Παρατηρητέον δὲ ὅτι μὴ κατὰ ἀκολουθίαν — ἐν τοῖς προφηταῖς* (M. 23, 73 B 12-D 10; Ioh. Mercati, *Osservazioni a proemi del Salterio* [= *Studi e Testi* 142] 1948, p. 113-115; brevius apud M. 84, 25 A), <sup>d</sup> de inscriptione *περὶ τέλους: Διὰ τοὺς ἐπιγεγραμμένους εἰς τὸ τέλος — ὁ σύμπας κόσμος* (Pitra, p. 437-438; M. 12, 1053-1056 A 2), <sup>e</sup> <rursus de divisione psalmodum>: *Τοὺς δὲ ψαλμοὺς καθολικώτερον — ὁμοῦ πάντες οἱ ψαλμοὶ ῥνα'* (Pitra, p. 413-418), <sup>f</sup> *γνώσις τοῦ διαψάλματος. Πολλάκις ζητήσας — καὶ σὺ ἐπιστήσεις* (M. 12, 1057 C 12-1060 C 5), <sup>g</sup> <de inscriptionibus>: *Ἐγὼ μὲν ᾄμην — Ἰωσίας ὄνομα αὐτῷ* (M. 12, 1056 B 1-1057 C 10) καὶ τὰ ἐξῆς. <sup>6</sup> (ff. 12v-15v) quomodo arca in Hierusalem translata est et compositum psalterium (Pitra, p. 418-427). <sup>7</sup> (ff. 15v-25v) s. Athanasii epistola ad Marcellinum (M. 27, 12-45). <sup>8</sup> (f. 25v) Eusebii divisio psalterii (M. 23, 66 C-68 A; Mercati, *op. cit.*, p. 117) et (ff. 25v-28) argumenta (M. 23, 68-72) sub inscriptione *Κανόνες ψαλμῶν προγεγραμμένοι, ἐκάστου αὐτῶν δηλοῦντες τὴν ἐνέργειαν διὰ τοῦ ἁγίου Πνεύματος προφητευομένην περὶ τοῦ Χριστοῦ, τοῦ αὐτοῦ Εὐσεβίου ὑπόθεσις εἰς τοὺς ψαλμοὺς*. <sup>9</sup> (f. 28r-v) de septem editionibus Scripturae (M. 84, 28-32 A 3). <sup>10</sup> (ff. 28v-34) s. Gregorii Nysseni *ὅτι ἀνακολούθῳ (!) τῇ ζωῇ τοῦ Δαυὶδ ἢ τῶν ψαλμῶν ἀκολουθία*, hoc est In psalmodum inscriptiones II, 11 (M. 44, 541-548 B 13 *τρόπον νικᾶς* pluribus omissis); I, 2 sub inscriptione *συλλογαὶ ἀπὸ βιβλίου διεφθορότος ὑποβρυχίου γεγονότος τοῦ ἐν ἁγίοις κ. τ. λ. (Χρῆ τοῖνυν — γλυκαινόμενον: M. 436 B 9-437 C 9); I, 2-4 (M. 437 C 10-448 B 15 *μετουσίας κατορθουμένην*). <sup>11</sup> (ff. 34-36) *ὑπόμνημα Ὀριγένους εἰς τοὺς ψαλμοὺς* (M. 12, 1060-1076); desiderantur vv. *ἐπὶ τὴν εὐσέβειαν τοῦ τῶν ὄλων Θεοῦ — ἀλλ' ἐπεὶ κατὰ τὸν Ἀκύ[λαν]* (M. 1064 A 2-1072 C 1) duobus foliis post 34v perditis. <sup>12</sup> (f. 36r-v) Ioseppi *ἐκ τοῦ ὑπομνηστικοῦ κεφάλαιον* ρ', quae sint a Davide in fine gesta (M. 84, 25 B-28 A 4). <sup>13</sup> (f. 36v) s. Gregorii Nysseni *εἰς τὸ διάψαλμα* nempe *op. cit.* II, 10 usque ad illa *πρὸς τὸν ἦχον τῇ διανοιᾷ* (M. 533 D-536 A 11).*

1 (ff. 37-356v) Psalmi scholiis atque notis hexaplaribus circumsepti lateribus ex quattuor. Auctores nominatur: Adrianus (ed. Pitra, *Analecta sacra* II, p. 130-132), Anastasius Antiochenus, Apollinaris, Arse(nius), Athanasius, Basilus, Cyrillus, Didymus, Eusebius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Grego-

rius Siculus, Hesychius, Hieronymus, Iohannes Chrysostomus, Isidorus, Maximus, Nilus, Origenes, Theodoretus, Theodorus Antiochenus (Mopsuestenus; cf. *Le commentaire de Théodore de Mopsueste sur les Psaumes*, p. xvii). F. 356v psalmus 151.

In edendis commentariis Cyrilli Alexandrini, Didymi, Eusebii nostro [cod. D] usus est A. Maius.

2 Cantica utriusque Testamenti foliis plenis commentario aucta. <sup>a</sup> (ff. 357-360v) Exod. 15, 1-19; comment. inc. mut. *εἰδώλοις προστετηκότες* (Corderius III, p. 853 *Βασιλείου*, lin. 12); <sup>b</sup> (ff. 360v-370) Deut. 32, 1-43; <sup>c</sup> (ff. 370-372) I Reg. II, 1-10; <sup>d</sup> (ff. 372-376) Habac. 3, 2-19; <sup>e</sup> (ff. 376-383) Is. 26, 9-20; <sup>f</sup> (ff. 383-385v) Ion. 2, 3-10; <sup>g</sup> (ff. 385v-388) Dan. 3, 26-45, 52-56; <sup>h</sup> (ff. 388-389v) Dan. 3, 57-88; <sup>i</sup> (ff. 389v-391) Luc. 1, 46-55 *Magnificat*; <sup>j</sup> (ff. 391-392) Luc. 1, 68-79 *Benedictus*, <sup>k</sup> (ff. 392r-v) Luc. 2, 29-32 *Nunc dimittis*; <sup>l</sup> (ff. 392v-395) Is. 38, 10-20. In fine (f. 395r-v) litteris semi-uncialibus Manasse oratio, (f. 395v) hymnus matutinus Trisagio auctus. Auctores citantur: Basilus, Cyrillus, Didymus, Eudoxius, Eusebius, Gennadius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Hesychius, Hippolytus, Hypatius, Iohannes Chrysostomus, Maximus, Nicolaus presbyter, Origenes, Severus, Theod(oretus), Theodorus Heracleensis, Victor.

Codex accurate perscriptus. Comprehendebat fasciculos quinquaginta in prima singularum pagina notatos (cf. ff. 117 ις', 277 λς', 293 λη', 301 λθ'). Perierunt folium foliave in capite libri addita, folia duo post 34v et totidem post 36v scilicet partes extremae fasc. quinti, folium unum post 356v.

Textus sacer litteris erectis paullo grandioribus distinctus, lectiones hexaplares caractere semi-unciali. Scholiorum in psalmos series duplex, una nempe in centurias distributa, alia priori admixta indiciis geometricis compluribus signata.

F. 28 inverso lineae octo latino-italicae saec. XIII-XIV. De codice egit Bahlfs, *Verzeichnis...*, p. 256. In sectura superiore libri clausi littera N.

Integumenti tabulis corio rubro saec. XVIII obductis agglutinatum est dorsum novum, in quo tesserae gentiliciae Pii IX.

755 (olim 486). Saec. XI, membran., mm. 363 × 233, ff. III (add.). 226, linn. 50 circiter.

Isaias cum catena (Karo-Lietzmann, p. 334-337: typus I; M. Faulhaber, *Die Propheten-Catenen nach römischen Handschriften*, 1899, p. 41-43, 46-78; Die Johannes-Catene; R. D. *Chaines exégétiques grecques*, col. 1147). Praemittuntur <sup>1</sup> (ff. 2-7) capita Isaiiae prophetae πη' (M. 93, 1369-1385 C 3

eis θεωρίαν προκείσεται). <sup>2</sup> (f. 7<sup>r-v</sup>) <Iohannis Drungarii prologus> (M. 24, 81-82; Faulhaber, p. 192-196). <sup>3</sup> (ff. 7<sup>v</sup>-8) s. Basilii argumentum, ὑπόθεσις τῆς βίβλου ἢ φανερὰ καὶ αὐτόθεν ληπτή. Ἐπειδὴ κατὰ χρόνους — συγκαταπεπλεγμένων (M. 30, 129 B 8-D 5). Ὁρώσι δὲ οἱ προφήται — ἀλλὰ πρὸς τὸν καιρὸν (124 D 1-125 A 14). Πῶς προεφήτεον — ἀμαρτίας σπύλων οὐκέτι (121 C 8-15). <sup>4</sup> (ff. 8-9<sup>v</sup>) s. Cyrilli Alexandrini prooemium (M. 70, 9-13). <sup>5</sup> (f. 9<sup>v</sup>) Theodoretii argumentum (ed. Möhle, apud *Mitteilungen des LXX — Unternehmens* vol. 5, 1932, p. 2; M. 81, 216-217).

Auctores nominantur: Apollinaris, Apollo abbas, Athanasius, Basilius, Cyrillus Alexandriae, Eusebius Caesariensis (vide quae scripsi apud *Revue Biblique*, 1933, p. 540-555), Eusebius Emesenus, Gregorius Nyssenus, Hippolytus, Iohannes Chrysostomus, Iosephus, Irenaeus, Origenes, Severianus, Severus Antiochenus, Theodoretus, Theodorus Heraclensis.

Liber ex exemplari mutilo descriptus (cf. ff. 135<sup>v</sup>-144<sup>v</sup> in Is. 34, 14-38, 13; eadem lacunae in cod. Ottob. gr. 452 ff. 107-110<sup>v</sup>; in Chis. gr. 45 ff. 179<sup>v</sup>-186<sup>v</sup>, ubi prius apertae ab ipso scriba sed atramento diverso expletae sunt).

Scriptura accurata; textus sacer in pagina media, scholia in marginibus exterioribus per centenas distributa. Fasciculi quaterniones κη' in prima singulorum pagina ima sinistrorsum notati. In ff. 1 et 107 insitiis et in f. 225 picturae (de quibus vide A. Muñoz, *I codici greci miniati delle minori biblioteche di Roma*, 1905, tab. 24. 29. 33); ff. 2 et 10 taeniolae affabre decoratae; correctiones nonnullae (e. g. 50<sup>v</sup>. 110<sup>v</sup>. 195<sup>v</sup>). F. 226<sup>v</sup> manu recentiore *Pater noster* litteris graecis bis transcriptus; f. 37<sup>v</sup> inter cetera parvi momenti nomen Μάρκος.

F. II ex codice moduli minoris avulsum, ad scripturam novam recipiendam lotum; inter ff. II<sup>v</sup> et III laciniae ex alio recisae; f. III nota emptionis: *In mothono (?) a d(omi)no Lascarj p(ro) duc (?) L(aurentio ?)*; ib. index libri manu rudi saec. XV-XVI digestus. F. 19 <a Ioh. Hon. a Mallia> instauratum; f. 7 nota A. M(ai). De codice quaedam apud A. Rahlfs, *Verzeichnis...*, p. 256.

Integumentum ex corio castaneo signato.

**756** (olim?). Saec. XI (ff. 1 et 13 saec. XVI), membran., mm. 285 × 215, ff. 301, linn. 40-48.

Evangelia quattuor, commentario <ps.-Petri Laodiceni> aucta, fere ut in cod. 358 (cf. Ios. Reuss, *Matthäus-, Markus- und Johannes-Katenen nach den handschriftlichen Quellen untersucht*, Monasterii in W. 1941). Praemittuntur pericoparum indices pro solemnitatibus anni, nempe <sup>1</sup> (f. 2) evangelia matutina undecim (Gregory, *Textkritik des N. T.*, p. 364); <sup>2</sup> (f. 2<sup>r-v</sup>)

<evangelia pro diversis sanctorum festis> (Gregory, p. 385-386); <sup>3</sup> synaxarium, hoc ordine: (ff. 2<sup>v</sup>-3<sup>v</sup>) Iohannes (Gregory, p. 344-347), (ff. 3<sup>v</sup>-4) Matthaei lectiones sabbato-dominicae, (ff. 4-5) Lucae lectiones sabbato-dominicae, (f. 5<sup>r-v</sup>) Marci lectiones sabbato-dominicae (cf. cod. 357), (ff. 5<sup>v</sup>-6) evangelia passionum, magnae parasceves et sabbati sancti (Gregory, p. 363); <sup>4</sup> (ff. 6-9<sup>v</sup>) menologium, quod des. abrupte in iun. 27: s. Samsonis (Luc. 12, 32-40; cf. Gregory, p. 365-381). In ff. additiis 1 et 13 cycli lunares et cyclus paschalis decemvennalis. <sup>5</sup> (f. 10<sup>r-v</sup>) s. Athanasii\* sermo in passionem, crucem et resurrectionem Domini, inde a vv. Ταῦτα γάρ, φησιν, ἐγένοντο usque ad πλήρωται καὶ πέπρακται (M. 28, 197 D 7-201 D 2).

<sup>1</sup> (ff. 14-96<sup>v</sup>) in Matthaeum (ed. G. Heinrici, Lipsiae 1908; cf. Reuss, p. 62-63). <sup>2</sup> (ff. 100-151<sup>v</sup>) in Marcum (inc. Πολλῶν εἰς τὸ κατὰ Ματθαῖον καὶ εἰς τὸ κατὰ Ἰωάννην: ed. C. F. Matthaei sub nomine Victoris Antiocheni, Mosquae 1775); supplementa plura in nostro, e. g. ff. 113<sup>v</sup>. 115<sup>v</sup>. 116<sup>v</sup>. 120<sup>v</sup>-121<sup>v</sup>. 145. 146<sup>r-v</sup>. 148. Praecedunt <sup>a</sup> (ff. 97-98) capitula, <sup>b</sup> (f. 98<sup>v</sup>) Cosmae Indicopleustae notitia (M. 88, 289 AB), <sup>c</sup> (ib.) argumentum Κατὰ Μάρκον εὐαγγέλιον ἐπιτέγραπται ἐπειδὴ (Soden, *Die Schriften des N. T. I*, p. 314-315), <sup>d</sup> (ff. 98<sup>v</sup>-99) argumentum aliud, cum expositionis initio concinens (Πολλῶν ὡς εἰκός — ἐφώτισεν: Matthaei, p. 2-4), <sup>e</sup> (f. 99) epigramma in Marcum (Πέτρον μνηθεῖς: Soden, p. 379). <sup>3</sup> (ff. 156-234<sup>v</sup>) in Lucam (cf. M. Rauer, *Der dem Petrus von Laodicea zugeschriebene Lukaskommentar*, Monasterii 1920, p. 19, 43-46). Praemittuntur (ff. 152-154) capitula; prologi varii, nempe <sup>a</sup> (f. 154<sup>v</sup>) de commentari indole (inc. Χρῆ τὸν ἐντυγχάνοντα τῆδε τῆ βίβλω, des. τοῖς ἐντυγχάνουσι τὰ νοήματα: Corderius, Cat. in Ioh. [vide infra] p. \*\* 2), <sup>b</sup> (ib.) Titi Bostrensis (Ἰστέον ὅτι τοὺς μὲν ἄλλους: ed. I. Sickenberger, *Titus von Bostra* [= *Texte und Untersuchungen XXI*, 1, 1901] p. 143), <sup>c</sup> (ff. 154<sup>v</sup>-155) Cosmae Indicopleustae (M. 88, 289), <sup>d</sup> (f. 155) argumentum Κατὰ Λουκᾶν τὸ εὐαγγέλιον ἐπιτέγραπται (cf. Soden, p. 315), <sup>e</sup> (ib.) Io(hannis?) argumentum Λουκᾶς ὁ μακάριος (Soden, p. 306 [102]), <sup>f</sup> (f. 155<sup>v</sup>) epigramma (Τρίτος δὲ Λουκᾶς: Soden, p. 379). Supplementa rariora (f. 221, Origenes = *Orig. Werke IX*, 1930, p. 227, 27-228, 30). <sup>4</sup> (ff. 238-299<sup>v</sup>) in Iohannem (cf. Reuss, p. 177-178). Praecedunt (f. 235) capitula; prologi, scilicet <sup>a</sup> (f. 235<sup>v</sup>) Τὴν ἅπασαν ἱστορίαν τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας (Corderius, *Catena Patrum graecorum in s. Iohannem*, Antverpiae 1630, p. \*\* 3<sup>v</sup>-\*\* 4<sup>v</sup>), s. Iohannis Chrysostomi <sup>b</sup> (ff. 235<sup>v</sup>-236) Τίνος ἕνεκε τῶν ἄλλων εὐαγγελιστῶν — τὰς ἀπάντων ψυχὰς (Cramer, *Catena in evangelia s. Lucae et s. Ioannis*, Oxonii 1841, p. 178,



22-179, 7) atque <sup>c</sup> (f. 236) Πολλῆς ἡμῖν δεῖ σπουδῆς — λεγομένων τὸ ὕψος (Corderius, p. \*\* 2v), <sup>d</sup> (f. 236r-v) Theodori Mopsuesteni (cf. *Essai sur Théodore de Mopsueste*, 1948, p. 305-306), <sup>e</sup> (f. 236v) Cyrilli Alexandrini\* Μετὰ τὸν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν σταυρὸν — ἔδραμε συγγραφὴν (cf. M. 73, 21 C 15-24 C), <sup>f</sup> (f. 237) argumentum Κατὰ Ἰωάννην τὸ εὐαγγέλιον ἐπιγέγραπται (Soden, p. 315-316), <sup>g</sup> (ib.) epigramma (Βροντῆς τὸν υἱόν: Soden, p. 379); sequitur alia manu scholion in 19, 25. Pericopa de muliere adultera obelis signata necnon commentario carens; supplementa in ff. 260, 271v, 274 (Cyrillus in 11, 52), 276v, 296 (Gregorius Nyssenus), 300 (Eulogius Alex. in 21, 15 ss.).

Liber accurate descriptus; partem foliorum mediam interiorem occupat textus sacer, margines vero exteriores commentarius. Fasciculis λη', quos complectitur, inserta sunt ipsa aetate qua exaratus est ff. 10-12, posterius autem ff. 1 et 13. Appicti sunt in campo aureo f. 11v evangelistae, f. 12 Iesus Christus; πύλαι, inscriptiones, litterae initiales maximae (ff. 14, 100, 156, 233) auro variisque coloribus ornatae.

F. 300v: Κύρ Φραγκίσκος Ἀκκίδας | ἐγγενὴς Κολασσαεὺς πολίτης | Μεσσήνης ἐν τῇ βασιλευσῶσῃ | τῶν πόλεων Ῥώμῃ ἠγάγε | τὸ παρὸν βιβλίον, ἔτει ἀπὸ | Ἀδάμ, ζ΄α' μηνὶ ἰουλίῳ ἰνδικτιῶνος α' (iul. 1583); de Fr. Accida vide Ioh. Mercati, apud *Studi e Testi* 68, p. 226-227.

Integumentum ex corio rubro, fibulis olim munitum, stemmate Gregorii XIII signatum; litteris aureis, in tabula anteriore ΕΙΣ ΤΑ Δ. ΕΥΑΓΓΕΛΙΑ ΑΛΥΣΙΣ. | ΤΩ ΜΑΚΑΡΙΩ-ΤΑΤΩ. | ΓΡΗΓΟΡΙΩ. ΙΓ., in tabula postica Μ. Δ. LXXXIII. | ΚΥΡΟΥ. ΦΡΑΓΚΙΣΚΟΥ. | ΑΚΚΙΔΑ. ΔΩΡΟΝ. Foliorum secturae auratae.

Membranae latinae duae ad librum compingendum adhibitae praebent <sup>a</sup> (f. 1v) instrumentum donationis monasterio S. Salvatoris de Lingua dioc. Messanensis anno 1294 factae, <sup>b</sup> (f. 301 recens deglutinatum) instrumentum aliud anni 1335 coram vicario generali Iohannae reginae pro Calabria factum.

**757** (olim 246). Saec. XI (ff. I. 1-13, 380 saec. XIII), membran., mm. 300 × 220, ff. I. 380 (+ 315\*), linn. 37.

Ps.-Petri Laodicensi in quattuor evangelia (vide cod. 756). <sup>1</sup> in Matthaeum, hac ratione: (ff. 14-109v) commentarius usui liturgico aptatus, nota ἀνεπίγραφος signatus [manu recentiore f. I: ὁ ἀνεπίγραφος οὗτος ἔστιν ὁ Πέτρος ὁ τῆς Λαοδικείας, ὅστις προηγείται τῶν ἄλλων ἐξηγητῶν ἐνταῦθα], inde a vv. τοιαύτας φαντασίας ποιοῦντα (Heinrici, *op. cit.*, p. 30, 13), scholiis auctus quorum auctores nominantur: Apollinarius, Basilius, Cyrillus Alexandrinus, Gregorius Nyssenus, Gregorius Thaumaturgus, Iohannes Chrysostomus, Irenaeus, Origenes, Severus, Theodorus Heracleota, Theodorus Mopsuestenus, Titus (cf. Karo-Lietzmann, *Catalogus*, p. 562-563: typus II); (ff. 3-13v) commentarius saec. XIII novis membranis suppletus inde ab

initio usque ad illa (in 4, 8-9) ἀπαιτηθῆναι τοιαῦτα ὀπηνίκα τὰς (Heinrici, p. 30, 13); eadem manu (f. 1r-v) ὑπόμνημα εἰς τοὺς δώδεκα ἀποστόλους (cf. *Prophetarum vitae fabulosae*; ed. Th. Schermann, p. 107-114), (f. 2) versus in s. Matthaeum: Ματθαίου τόδε ἔργον (Soden, p. 378 [5]), (f. 2r-v) Matth. capitula ξη', (f. 2v) argumentum Κατὰ Ματθαίον εὐαγγέλιον ἐπιγέγραπται (Soden, p. 314), (f. 3) prologus (Εὐαγγέλιόν ἐστὶ λόγος περιέχων — ἐπὶ ταύτην ὄρμησε τὴν συγγραφὴν), (f. 109v) stichometria et editionis nota. <sup>2</sup> (ff. 110v-154) in Marcum. <sup>3</sup> (ff. 155-267) in Lucam. <sup>4</sup> (ff. 268-380) in Iohannem. Inseruntur (ff. 268v-270v) fragmenta <Theodori Mopsuesteni> (*Essai sur Théodore de Mopsueste*, p. 307-312).

Liber comprehendebat fasciculos μθ' gracili calamo exaratos. Deciderunt initium et finis, nempe fasciculi duo priores et tertii folium primum, fasc. μθ' folium foliave post primum, quae omnia saec. XIII suppleta sunt (ff. 1-13, 380).

F. Iv foliorum summa, πρὸς τοῖς ὀγδοήκοντα καὶ τρίτην κατοικία. F. I summo manu saec. XVI: *Quattuor Evangelistae Expositi*, inferius manu antiquiore: *Liber ... apostoli ... transumpt...* | *Lucianus xama manu p(ro)p(ria) d. VI*. Notulae <A. Mai> in ff. 20v, 27, 32, 33v. De codice egerunt Heinrici (*op. cit.*, p. xiv-xxvi passim), Rauer (*op. cit.*, p. 49-50), Ios. Reuss (*op. cit.*, p. 80-81, 122, 184).

Integumenti tabulis corio rubro saec. XVIII obductis agglutinatum est dorsum novum, in quo tesserae gentilitiae Pii IX et A. Mai card. bibliothecarii. Foliorum secturae caeruleo liquore tactae.

**758** (olim 494). Saec. XII in., membran., mm. 375 × 275, ff. III (add., I et II chärtac.) 233, linn. 40 circiter.

1 (ff. 2-84v) in Lucam ἐρμηνεῖαι διαφόρων ἐρμηνευτῶν, nempe Ps.-Petri Laodicensi expositio (f. Iv manu saec. XVI: *in Lucam expositio Petri Laodicensi*) scholiis aucta, quorum auctores nominantur: Athanasius (f. 83), Cyrillus Alexandrinus (fragmenta notis signavit et edidit A. Maius [cod. D]; apud M. 72), Gregorius Nyssenus (f. 26), Iohannes Chrysostomus (ff. 22v, 33, 34v, 35, 46, 47v, 48, 67, 70v, 71, 71v, 79v, 80v, 81v, 82v, 83), Maximus (ff. 43, 54v), Origenes (ff. 33, 79v), Photius (ff. 28, 54, 75, 78v). Cf. Karo-Lietzmann, *Cat. graec. cat.*, p. 575 (= typus II); M. Rauer *op. cit.*, p. 24, 37, 51).

2 (ff. 87-233) in Iohannem eatena, ἐρμηνεῖαι διαφόρων ἐρμηνευτῶν (Karo-Lietzmann, *Catalogus*, p. 586-587 [= typus III]; Ios. Reuss, *op. cit.*, p. 190-196). Auctores nominantur: Apollinaris, Athanasius, Basilius, Cyrillus Alexandrinus, Didymus, Eusebius, Iohannes Chrysostomus, Maximus, Origenes, Photius, (Theodorus)

Hera(cleensis), Theodorus Mopsuestenus (cf. *Essai sur Théodore de Mopsueste*, p. 292); duobus foliis post 225<sup>v</sup> deperditis effluxit 19, 30 κεφαλὴν παρέδωκεν τὸ πνεῦμα — 20, 6 τὰ ὀθόνια κείμενα [comm. abrumpitur in vv. ἐστὶ δὲ ἀμφίβολον (= Cyrillus Alex. apud M. 74, 668 A 2), resumitur in illa ἀνέστη τοῦ τάφου καὶ τοῦτο (= Isid. Pelus. Epist. I, 114; M. 78, 260 A 12]. Praemittuntur sub lemmate Κυ(ρίλλου) <sup>a</sup> (f. 85<sup>r-v</sup>) Theodori Mopsuesteni prologus (*op. cit.*, p. 305–307), <sup>b</sup> (f. 85<sup>v</sup>) praefatio altera (Τινὲς φασὶν ὡς μετὰ τὴν τοῦ σωτήρος ἡμῶν — ἔδραμε συγγραφὴν).

Codicis pars altera, quam efficiunt fasciculi 30 hoc ordine sese excipientes: <sup>a</sup> fasciculi undecim κ'-λ' notati, quaterniones excepto ultimo binione (ff. 2–85); <sup>b</sup> fasciculi undeviginti α'-ιθ' signati, item quaterniones praeter ultimum ternionem, ex quibus deciderunt folia duo post 225<sup>v</sup> atque folium supremum. Insiticia sunt ff. 1 et 86, quae praebent imagines auro et coloribus diversis pictae, hodie satis attritae (f. 1<sup>v</sup> s. Lucas, f. 86<sup>v</sup> s. Iohannes).

Textus sacer litteris grandioribus distinctus paginam mediam ad oram interiorem occupat, exegeses autem circum exaratae sunt. Supplementa (e. g. ff. 19<sup>v</sup>. 34. 38<sup>v</sup>. 45. 46<sup>v</sup>), correctiones nonnullae (e. g. ff. 14<sup>v</sup>. 19<sup>v</sup>. 29. 31<sup>v</sup>). Aetate recentiore fasciculi iterum notati sunt, foliaque singula α'-σλε', lacuna post 225<sup>v</sup> non deprehensa, computata.

F. 233 manu citata † Ἐτελήθη τῷ παρὸν ἔβαγγέλιῳ ἐτοῦς 'ςχπα' (ἰνδι)κτιωνῶς δ' ἐν μηνὶ ἰανουαρίῳ βασιλεβοντ(ος) κυρ Κομνηνοῦ Δοῦκα Ἀγγελου Παλεολογου (cf. f. III<sup>v</sup>), quae a nostro, si scripturam inspexeris aliena sunt, rationi praeterea temporum repugnant.

Integumenti tabulae et dorsus insignia praefereunt Pauli V et Scipionis Borghese card. bibliothecarii; in dorso schedula chartacea saec. XVIII cum nota rubra 758. Fibularum vestigia.

**759** (olim 493). Saec. XIV ex., chartac., mm. 220 × 145, ff. IV (add.). 264, linn. 24.

Catena in Lucam 12, 32 ss., <ἐκλογὴ ἀπὸ τὰς ἐξηγήσεις τοῦ κατὰ Λουκᾶν ἀγίου εὐαγγελίου διαφόρων ἐξηγητῶν cod. In f. 1 summo add. man. recent. ἀπὸ τῆς ἐκλογῆς τοῦ Νικήτ(α) Σερ(ρ)ῶν. De collectione vide quae scripsit Ios. Sickenberger, *Die Lukaskatene des Niketas von Heracleia*, 1902 (= *Texte und Untersuchungen*, N. F. VII, 4), de nostro p. 63–64, 109–112; cf. Karo-Lietzmann, *Catalogus*, p. 581 (= typus IV in Lucam).

Auctorum nomina accurate digessit A. Maius in ff. III<sup>v</sup>–IV, longe plenius recensuit Sickenberger: Ambrosius, Amphilochius, Anastasius Sinaita, Apollinaris, Asterius, Athanasius, Basilius, Cassianus, Clemens, Cyrillus Alexandrinus, Ephraem, Epiphanius, Eusebius, Eutychius, Evagrius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Hypatius (ed. F. Diekamp, *Analecta Patristica = Orientalia christiana Analecta* 117, 1938, p. 151–153),

Iohannes Chrysostomus, Iohannes Climacus, Iohannes Damascenus, Iohannes Geometra, Irenaeus, Isidorus, Leo Romanus, Macarius, Maximus, Nicetas Paphlago, Nilus, Origenes, Philo hebraeus, Phostorius, Photius, Psellus, Severus, Silvester, Theodoretus, Titus, Victor.

Fasciculi λγ' quaterniones. Officinarum signa: arcus (cf. Briquet 790), claves (cf. Briquet 3837), campana (cf. Briquet 3972). F. II inter alia saec. XV: *Marinus Tromba faciebat*; f. III schedula glutine adhaerens, in qua legitur <manu Ioh. Tortelli>: *Glossę diuersoru(m) doctoru(m) sup(er) euangeliu(m) Lucę* (cf. Muntz et Fabre, *La bibliothèque...*, p. 247). Ff. 262–264 scriptura vacant. Secturae foliorum flavo liquore tinctae; in sectura inferiore inscriptio hodie vacillans.

Integumentum membranaceum; in dorso scutum Pii IX.

**760** (olim 487). Saec. XI (ff. 1. 249–257 saec. XIV), membran., mm. 255 × 205, ff. 257, linn. 24.

1 (ff. 2<sup>v</sup>–178) in Actus Apostolorum, Ἀναμνήσκει τὸν Θεόφιλον τοῦ εὐαγγελίου (sub nomine Theophylacti Bulgariae apud M. 125, 500–848 A 10 *ιάσεται αὐτοῦς*, paucis mutatis); desiderantur vv. *Βασιλείαν αὐτὸς ὁ Κύριος ἐκάλεσε — ἀποκαλύπτων μυστήρια* (M. 505 C 15–508 A 11) uno folio post 6<sup>v</sup> deperdito; expositio nostra ex homiliis s. Iohannis Chrysostomi maximam partem depromitur. Praemittitur (ff. 1–2<sup>v</sup>) notitia de gestis Apostolorum (initium *Ἐὶ καὶ πράξεις* apud M. 118, 29 A); sequitur (ff. 178<sup>v</sup>–180) notitia de s. Pauli captivitate romana (Ἐπὶ τῆς Ῥωμαίων ὁ Παῦλος διετίαν ὄλην κ. τ. λ., sub nomine Euthalii apud M. 85, 709 B 3–712 B 15 *μέχρι τῆς τελειώσεως τριάκοντα καὶ πέντε*).

2 (ff. 181–246<sup>v</sup>) *ἐρμηνεῖαι εἰς τινὰ ῥητὰ τῶν πράξεων*, nempe ut videtur excerpta ex praecedenti insertis locis nonnullis quorum auctores nominantur: Ammonius, Athanasius, Basilius, Cyrillus, Didymus, Epiphanius, Eusebius, Evagrius, Iohannes Chrysostomus, Iosephus, Irenaeus, Isidorus, Maximus, Origenes, Severianus, Severus, Theodoretus, Theodorus Heracleensis. Sequuntur <sup>1</sup> (ff. 246<sup>v</sup>–248) de captivitate romana s. Pauli <sup>a</sup> *Ὁ καθάπερ ὁ Σινωπεὺς — κατέμενον ἐν τῇ Ῥώμῃ* (M. 125, 848 B 12–C 10), <sup>b</sup> *Διετίαν ὄλην κ. τ. λ.* fere ut supra ff. 178<sup>v</sup>–180; <sup>2</sup> (ff. 248<sup>v</sup>–249<sup>v</sup>) peregrinationes s. Pauli (M. 85, 649–652).

3 (ff. 250–257, binis coll.) <Aristotelis *περὶ ἐρμηνείας*> cum interpretatione capp. 1–9 auctore Boethio, quae abrumpitur (f. 251<sup>v</sup>) in vv. *non magis sic* (ed. Meiser, Lipsiae 1877, p. 10 l. 3).

Fasciculi 31 in prima singulorum pagina summa notati, accurate perscripti, ex quibus folia duo extrema olim deperdita saec. XIV suppleta sunt (ff. 1 et 249). Ff. 44, 148, 175 margines resecti.

Manu minuta exarata sunt ff. 250 ss., in quibus Aristotelis textus laterculum interiore occupat, Boethii autem interpretatio exteriorem ff. 250-251v.

Integumentum ex corio suboscuro saec. XVI, corrigiis atque catena olim munitum; tabulae anteriori aversae adhaeret syllabus anno 1500 posterior: *Interpretatio in actus Apostolorum.* | 477 (sic). In dorso schedula saec. XVII cum nota rubra 760. Foliorum secturae flavo liquore tinctae.

**761** (olim 477). Saec. XI (ff. 11-5. 265. 266 saec. XIV), membran., mm. 345 × 257, ff. II. 266, linn. 40 circa.

<Ps.-Oecumenii> in epistolas s. Pauli (M. 118. 119; cf. K. Staab, *Die Pauluskatenen*, Romae 1926, p. 106); praecedit (ff. 1-6) <Euthalii> prologus *Τὸ φιλομαθὲς καὶ σπουδαῖον* (M. 85, 693-701 A 13 *διέγραψε πολιτείαν*, 708 B 1 *Ἀναγκαῖον δὲ ἡγησάμην* — 712 B 15 *τριακόνη καὶ πέντε*).

(ff. 6-56) in ep. ad Romanos inde a vv. *Τὸ ἀποῦσι γράφειν αἴτιον* (cf. M. 118, 324 B 10); — (ff. 56v-101) in ep. I ad Corinthios; — (ff. 101v-131v) in ep. II ad Corinthios; — (ff. 132-146v) in ep. ad Galatas; — (ff. 147-162v) in ep. ad Ephesios; — (ff. 163-174) in ep. ad Philippenses; — (ff. 174-185v) in ep. ad Colossenses; — (ff. 186-196) in ep. I ad Thessalonicenses; — (ff. 196v-203) in ep. II ad Thessalonicenses; — (ff. 203v-216) in ep. I ad Timotheum; — (ff. 216v-224) in ep. II ad Timotheum; — (ff. 224v-230) in ep. ad Titum; — (ff. 230v-232v) in ep. ad Philemonem; — (ff. 233-266v) in ep. ad Hebraeos. Epistolas singulas praecedunt argumentum et capitulorum index (cf. M. 85, 748-789), sequitur saepissime stichometria.

In custodiam addita sunt <sup>1</sup> (f. I<sup>r</sup>v ex codice latino saec. XIV avulsam, coll. 2, linn. 32) hymni ad B. M. V., inter quos *Mane prima sabbati* (Ul. Chevalier, *Repertorium hymnologicum* 11064), *Laetabundus exultet* (ib. 10012), *Imperatrix gloriosa* (ib. 8487). <sup>2</sup> (ff. II<sup>r</sup>v) Hebr. 13, 11-23 *τὸ αἶμα περὶ ἁμαρτίας — γινώσκετε τὸν ἀδελφόν*.

Fasciculi triginta quinque quaterniones (si excipias 8 et 31 paria foliorum, 18 bintonem, 35 foliorum septem, 29 foliorum novem, 27 quinionem), quorum notae originales perierunt. Folia plura olim perdita tam in principio quam in calce saec. XIV suppleta sunt (1-5. 265. 266) ab eo ut opinor qui fasciculos notis insignivit α'-λδ' inde a f. 9. Textus sacer paginam mediam occupat, commentarius margines exteriores. Epistolarum frontes necnon litterae initiales maximae auro variisque coloribus distinguuntur, capitula autem rubro caractere rubro semi-unciali; taeniola f. 9 ferro excisa.

Folia nonnulla humore inquinata; decurtati sunt margines inferiores ff. 165. 172.

175. 182. 191. 197. 229. 235, exteriores ff. 132. 204. 225; f. 9 summo notavit <L. Zaccagnius>: *Oecumenius in Ep(isto)las Pauli quibusdam in locis brevior editis*.

Integumentum ex corio rubro; in tabulis et in dorso tesserae gentiliciae Pauli V et Scipionis Borghese card. bibliothecarii; in dorso schedula chartacea saec. XVII cum nota rubra 761. Fibularum vestigia.

**762** (olim 491). Saec. X (ff. 113-119 suppl. saec. XV), membran., mm. 310 × 227, ff. 419 (412 ss. additicia), linn. 36.

Catena in s. Pauli epistolas (ff. 1-217) ad Romanos. (ff. 218-339v) ad Corinthios I, (ff. 340-411v) ad Corinthios II; abrumpitur in exegesis versus ultimi (*καὶ τῆς οὐσίας τὴν ἐνότητα* [= Ioh. Chrysost. apud M. 61, 608]. *Θεοδώρου* |). De collectione vide Karo-Lietzmann, *Catalogus*, p. 598-600 (= typus I); K. Staab, *Die Pauluskatenen*, p. 7-11: *Der Typus Vaticanus*; R. D. *Châines exégétiques*, 1209-1224.

Auctores nominantur: Acacius, Alexander Nicaenus, Apollinaris, Basilius, Clemens, Cyrillus, Didymus, Diodorus, Dionysius Areopagita, Eusebius (Caesariensis), Eusebius Emesenus, Gennadius, Gregorius Nyssenus, Iohannes Chrysostomus, Isidorus, Methodius, Oecumenius, Origenes, Photius, Severianus, Severus, Theodoretus, Theodorus Mopsuestenus, Theodulus chorepiscopus. Excerpta variorum auctorum edidit K. Staab, *Paulus-Kommentare aus der griechischen Kirche*, 1933 (Didymus, Eusebius Emesenus, Acacius Caes., Apollinarius, Diodorus, Theodorus Mopsuestenus, Severianus, Gennadius, Oecumenius, Photius).

Ff. 412 ss. ex aliis duobus codicibus aetatis necnon formae longe diversae haec praebent: <sup>1</sup> (ff. 412 et 413, saec. XIV, mm. 210 × 145, linn. 28) <Ciceronis de divinatione>, nempe (f. 412<sup>r</sup>v) I, 10 *quae nomen ex inuentore repperit — 12 uoces tristificas castis promebat Etrusis* (sic); (f. 413<sup>r</sup>v) I, 17 *incuruum et leuiter a summo — 18, 35 cum terrae saepe fremit(us)*. <sup>2</sup> (ff. 414 ss., saec. XIV, mm. 250 × 160, linn. 25) <Ps.-Epiphani in sepulturam Domini> hac ratione: (f. 414<sup>r</sup>v) inde a vv. *διελύθησαν · προσέκοψαν* usque ad illa *τὸ μὲν καταπαυόμενον* (M. 43, 440 B 13-441 B 7), (ff. 415-418v) vv. *καὶ προσήγαγεν ὡς πρωτότοκος — ἀκατάληπτον θέ[αμα* (M. 444 B 2-449 D 8), (f. 419<sup>r</sup>v) *ἔ]θνη πάντα ἐκ κατακλυσμοῦ — ὁ Θεὸς Λόγος ἐπεσκέψατο · ψυχαῖς* (M. 452 D 5-453 D 2).

Codex magni momenti ex exemplo lacunis hiante (e. g. ff. 218. 224v. 226v. 227v. 312v) accurate descriptus. Textus sacri pericopae caractere semi-unciali grandiore distinctae medias paginas occupant; spatio vacuo saeptae.

Fasciculi fuerunt olim quinquaginta duo, quaterniones praeter 28 foliorum septem et 43 ternionem; fasc. 15, qui perierat, septem foliis saec. XV (113-119) suppletus est; desideratur totius libri folium supremum post 411<sup>v</sup>. Notarum originalium etiam vestigia evanuerunt; notae Latinae recentius in prima fasciculorum pagina ima dextrorsum additae.

Usui liturgico noster saec. XIII, ut videtur, aptatus est. F. 413 transverso nota antiquior *N* 15 2 *Plu.* Syllabus anno 1550 posterior nuper repertus tabulae priori aversae agglutinatus est. Notae A. Mai in ff. 1 et 411<sup>v</sup>.

In tegumenti dorso tesserae gentiliciae Pii IX et A. Mai card. bibliothecarii.

Codd. 763 (olim 488) et 764 (olim 492) inter libros typis impressos ab A. Maio repositi sunt, quippe qui praebeant « EXPOSITIONES ANTIQUAE AC VALDE UTILES breviter una cum perspicuitate habentes mirabilem, ex diversis sanctorum patrum commentariis ab Oecumenio et Aretha collectae in hosce novi testamenti tractatus. Oecumenii quidem in Acta Apostolorum, in septem epistolas quae Catholicae dicuntur, in Pauli omnes. Arethae vero in Ioannis Apocalypsin. Veronae MDXXXII ». Libri duo membranarum impressi; in fine (p. 1014): Veronae, apud Stephanum et fratres Sabios, MDXXXII. Mense Febr. Hodie: Membranac. I, 4-5.

765 (olim 489). Saec. XII, membran., mm. 360 × 285, ff. II. 178, linn. 55 circa.

Ps.-Oecumenii in epistolas s. Pauli (M. 118. 119; cf. K. Staab, *Die Pauluskatzen*, p. 132-136). (ff. 1-36<sup>v</sup>) ad Romanos; commentarius inc. *Τὸ ἀποδοσι γράφειν αἴτιον τοῦ κείσθαι αὐτοῦ τὸ ὄνομα. Διὰ τοῦτο* (M. 118, 324 B 10); — (ff. 36<sup>v</sup>-68<sup>v</sup>) ad Corinthios I; — (ff. 68<sup>v</sup>-91<sup>v</sup>) ad Corinthios II; — (ff. 91<sup>v</sup>-101) ad Galatas; — (ff. 101-111<sup>v</sup>) ad Ephesios; — (ff. 111<sup>v</sup>-120) ad Philippenses; — (ff. 120-126<sup>v</sup>) ad Colossenses; — (ff. 126<sup>v</sup>-133) ad Thessalonicenses I; — (ff. 133<sup>v</sup>-137) ad Thessalonicenses II; — (ff. 137<sup>v</sup>-145) ad Timotheum I; — (ff. 145-150) ad Timotheum II; — (ff. 150<sup>v</sup>-153) ad Titum; — (ff. 153-154) ad Philemonem; — (ff. 154<sup>v</sup>-177<sup>v</sup>) ad Hebraeos. Epistolarum commentarios praecedunt argumentum *Ταύτην ἐπιστέλλει* necnon illud Theodreti, subsequuntur nota editionis et stichometria. Inter exegeses citantur Anastasius Sinaita, Basilus, Cyrillus, Gennadius, Ioh. Chrysostomus, Isidorus, Oecumenius, Severianus, Theodoretus.

Fasciculi κβ' quaterniones in prima singulorum pagina ima sinistrorsum notati, quibus praefixa sunt folia duo (II et 1; I et 178 a bibliopecto add.). Scriptura accurata compendiis scatens; inscriptiones rubro liquore distinctae.

F. II<sup>v</sup> manu librarii coeua: † Θεοτόκε βοήθει τοῖς σοῖς δούλοις | Ῥωμανῶ (πρωτο-)σπαθ(αρίω) (καὶ κριτ(ῆ) ἐπὶ τοῦ | Ἱπποδρό(μου) τοῦ βήλου (καὶ) στρατιω(ικῶ) λογοθ(έ)τ(η) | τῶ γενεσίω καὶ εὐπρεπία τῆ αὐτοῦ συζύγ(ω) †; quae inscriptio litteris capitalibus superius iterata est manu posteriore, pluribus omissis, unde typis impressa a K. Staab (*op. cit.*, p. 132); hac dignitate functi sunt nonnulli (cf. Schlumberger, *Sigillographie de l'empire*

*byzantin*, p. 520-525). Ib. manu XIII ut opinor, index bibliothecae Michaelis Capradocis, cuius fuit liber; †... ἕτερ(ον) βαμβύκινον εἰς τὸν προφήτην Ἡσαΐαν ἐξηγημένον παρὰ τοῦ Κυ(ριλλου). ἕτερ(ον) βιβλίον βέμβρανον τοῦ Χρυ(υσοστόμου) εἰς τοὺς ἀνδριάντας. ἕτερ(ον) βέμβρανον τοῦ Δαμασκηνοῦ Ἰω(άννου). βιβλίον βαμβύκινον τοῦ ἀγ(ίου) Ἀθανασίου ἔχων ἐρωτοἀποκρίσεις καὶ λόγους δογμα(ικούς) καὶ ἄλλα τινά. ἕτερ(ον) βαμβύκινον τοῦ Ἀραβίτου καὶ ἐρωτήματα γραμματικά †.

F. II † *san pabolo*; f. I<sup>v</sup> libri positio antiqua: *N* 26 [inferius 25] *P* *P/u*; f. 178 manu saec. XV-XVI (Demetrii Lucensis?): *ep(isto)le Pauli cum gl(ossa)*. Tabulae priori aversae agglutinavi syllabum anno 1550 posteriorem nuper repertum: *Catena in epistolas | Pauli | . 489*.

In tabulis et in dorso corio rubro obductis tesserae gentiliciae Pauli V et Scipionis Borghese card. bibliothecarii; in dorso schedula saec. XVII cum nota rubra 765. Fibularum vestigia.

766 (olim 490). Saec. XI in., membran., mm. 383 × 285, ff. II. 249 (1-2 add., + 11<sup>a</sup>. 149<sup>a</sup>), linn. 40 circa.

Ps.-Oecumenii in epistolas s. Pauli (cf. K. Staab, *op. cit.*, p. 102-103). (ff. 3-44) ad Romanos; — (ff. 44<sup>v</sup>-87) ad Corinthios I; — (ff. 87<sup>v</sup>-121) ad Corinthios II; — (ff. 121<sup>v</sup>-136<sup>v</sup>) ad Galatas; — (ff. 136<sup>v</sup>-151<sup>v</sup>) ad Ephesios; — (ff. 151<sup>v</sup>-163<sup>v</sup>) ad Philippenses; — (ff. 164-173) ad Colossenses; — (ff. 173<sup>v</sup>-183<sup>v</sup>) ad Thessalonicenses I; — (ff. 183<sup>v</sup>-189) ad Thessalonicenses II; — (ff. 189<sup>v</sup>-201<sup>v</sup>) ad Timotheum I; — (ff. 202-210<sup>v</sup>) ad Timotheum II; — (ff. 210<sup>v</sup>-214<sup>v</sup>) ad Titum; — (ff. 215-217) ad Philemonem; — (ff. 217-249<sup>v</sup>) ad Hebraeos. Epistolas singulas praecedunt argumenta *Ταύτην ἐπιστέλλει* necnon illa Theodreti; interpretationibus admixta sunt scholia quae prae se nomina ferunt (Acacius, Basilus, Cyrillus, Dionysius, Eusebius, Gennadius, Gregorius Nyssenus, Methodius, Oecumenius, Severianus, Theodoretus) fere ut in codice praecedenti.

Fasciculi 31 in prima cuiusque pagina summa dextrorsum notati, quaterniones praeter ultimum foliorum novem, quibus praefixa sunt folia duo saec. XIV, in quibus (ff. 1<sup>v</sup>-2) argumentum in ep. ad Romanos, (f. 2<sup>v</sup>) pictura arte non mediocri confecta auro diversisque coloribus renidens (s. Paulus inspirans s. Iohannem Chrysostomum).

F. 1 manu saec. XV-XVI: *ep(isto)le Pauli cum com(men)to. d(emetrius Lucensis?)* (cf. index librorum Sixti IV, apud Müntz et Fabre, *La bibliothèque ...* p. 245: « Epistolae Beati Pauli cum Commento. Ex membr. in nigro »); f. II aversum in custodiam additum indicem praebet saec. XVI medii: *Catena hoc opus videtur. Theodoritum, Eusebium, Oecumenium, Seuerianum aliosque citat. partim consentit cum opere Veronae excusso* [supra codd. olim 763. 764] *partim dissentit, maxim(a) ex parte diversum opus est*; in membrana tabulae anteriori agglutinata libri positio: *N* 17 3 *Plu.*

F. I ex instrumento latino ann. 1564 avulsum et decurtatum.

Integumentum ex corio rubro; in dorso tesserae gentiliciae Innocentii XI et Laurentii Brancati de Laurea card. bibliothecarii. Foliorum secturae flavo liquore tinctae.

**767** (olim 1108). Saec. XIV (ff. 2. 9. 10. 12. 19-21. 34-37. 121-125. 127-131. 137. 138. 140. 141. 143-165. 167-168) saec. XVI suppl.), mm. 320 × 220, ff. 169 (— 1), linn. 35-37.

Interpretationes in varios psalmos ex Nicetae catena desumptae (Karo-Lietzmann, Cat. graec. cat., p. 34: typus VIII), maximam partem sine auctorum nominibus refertae, lacunis compluribus hiantes, quae saec. XVI hic expletae sunt, illic autem chartis vacuis signatae. Codicem evolventes, res ut se habent perscribuntur:

(ff. 3-8<sup>v</sup>) praefatio [prima verba quae expiscata sunt: *ἐκ τῆς μελωδίας* = Basilius apud M. 29, 212 B 5], comment. in ps. 1-2, 12 (Pal. gr. 247, ff. 5<sup>v</sup>-14<sup>v</sup>); f. 9-10 vacua; — (f. 11<sup>r-v</sup>) in ps. 3, 6 ss. (Pal. 247, ff. 18<sup>v</sup>-20); f. 12 vacuum; — (ff. 13-18<sup>v</sup>) in ps. 4, 2-6 (Pal. 247, ff. 22-31<sup>v</sup>); ff. 19-21 vacua; — (ff. 22-23) in ps. 6, 7 ss. (Pal. 247, ff. 37-39); — (ff. 23-28) in ps. 37 (Pal. 247, ff. 203<sup>v</sup>-214); — (ff. 28-30<sup>v</sup>) in ps. 87; — in ps. 62 interpretatio prior (f. 31<sup>r-v</sup>) *Καὶ τοῦτον ὁ Δαυὶδ ἄδει τὸν ψαλμὸν* (Athanasius?) atque (ff. 31<sup>v</sup>-32) interpretatio altera (Pal. 247, ff. 320<sup>v</sup>-322<sup>v</sup>); — (ff. 33<sup>r-v</sup>) in ps. 102, 1-5; ff. 34. 35. 36 vacua; — (f. 37<sup>r-v</sup> manu saec. XVI) in ps. 142, 1-3 additis nominibus Theodoretī et Iohannis Chrysostomi, (ff. 38-40) in eiusdem psalmi vv. 3-12; — (ff. 40-44<sup>v</sup>) in ps. 140; — (ff. 44<sup>v</sup>-46<sup>v</sup>) in ps. 141; — (ff. 46<sup>v</sup>-48) in ps. 129; — (ff. 48-51) in ps. 89; — (ff. 51-53<sup>v</sup>) in ps. 100; — (ff. 53<sup>v</sup>-56<sup>v</sup>) in ps. 16 (Pal. 247, ff. 91<sup>v</sup>-97); — (ff. 56<sup>v</sup>-60) in ps. 24 (Pal. 247, ff. 135-141); — (ff. 60-64) in ps. 50 (Pal. 247, ff. 287-292<sup>v</sup>); — (ff. 64-65) in ps. 53 (cf. Pal. 247 f. 297<sup>v</sup>, ubi argumenti principium servatur); — (ff. 65-69) in ps. 54 (desideratur in Pal.); — (ff. 69-72<sup>v</sup>) in ps. 90; — (ff. 72<sup>v</sup>-76) in ps. 144; — (ff. 76-78) in ps. 145; — (ff. 78-84<sup>v</sup>) in ps. 83-85; — (f. 85<sup>r-v</sup>) in ps. 12 (Pal. 247, ff. 80<sup>v</sup>-82); — (ff. 85<sup>v</sup>-88<sup>v</sup>) in ps. 30 (Pal. 247, ff. 166-171<sup>v</sup>); — (ff. 88<sup>v</sup>-96) in ps. 33 (desideratur in Pal.); — (ff. 96-107) in ps. 103; scholiorum auctores nominantur Athanasius, Basilius, Cyrillus, Dionysius, Eusebius, Gregorii Naz. et Nyss., Ioh. Chrysostomus, Isidorus, Theodoretus; — (ff. 107-112<sup>v</sup>) in ps. 148; — (ff. 112<sup>v</sup>-113) in ps. 149; — (ff. 113<sup>v</sup>-114<sup>v</sup>) in ps. 122; — (ff. 114<sup>v</sup>-119) in ps. 135 et 136; — (ff. 119-120<sup>v</sup>) in ps. 108, 1-6; — in ps. 117 <sup>a</sup> (ff. 121-125 manu saec. XVI, ex exemplo lacunoso) vv. 1-26<sup>a</sup> cum interpretationibus Ioh. Chrysostomi, Origenis, Theodoretī, <sup>b</sup> (f. 126<sup>r-v</sup>) in vv. 26<sup>b</sup>-29; — (f. 126<sup>v</sup>) in ps. 131, 1-5; ff. 127-131 vacua; — (ff. 132-133) in ps. 131, 8 ss.; — (ff. 133-136) in ps. 91-92; — (ff. 136<sup>r-v</sup>. 139<sup>r-v</sup>) in ps. 94; ff. 137 et 138 vacua; — (f. 139<sup>v</sup>) in ps. 26, 10; — (f. 139<sup>v</sup>) in ps. 31, 1-3; ff. 140. 141 vacua; — (f. 142<sup>r-v</sup>) in ps. 44, 5-7; ff. 143-146

vacua; — in ps. 118 (ff. 147-165<sup>v</sup> saec. XVI) vv. 1-135 cum scholiis Ioh. Chrysostomi, Origenis, Theodoretī, (f. 166<sup>r-v</sup>) in vv. 136-146; ff. 167-169 vacua.

Liber humore inquinatus non citra textus detrimentum, morsu blattarum multifariam perterebratus, sine arte olim relectus. Charta spissa, stylus rudis. F. 13 manu saec. XVI: *In Psalmos expositio a. 4 usq(ue) ad 108. multa habet ex Chrysostomo; et uideatur epitome non unius tantum.*

Integumentum ex corio rubro, catena olim munitum; in tabulis scutum Marci Antonini Colonna card. bibliothecarii; in dorso schedula chartacea saec. XVII cum nota rubra 767.

**768** (olim 804). Saec. XI, membran., mm. 308 × 225, ff. 229, coll. 2. linn. 22.

<sup>1</sup> Pro festis mobilibus lectiones Veteris Testamenti notatione epho-  
netica instructae, hoc est (ff. 3-9<sup>v</sup>) in vigilia Nativitatis Domini (cf. Menaea, ed. Romae, II 1889, p. 652-657); — (ff. 9<sup>v</sup>-22<sup>v</sup>) in vigilia Theophaniorum (Menaea, III 1896, p. 125-135); — (ff. 22<sup>v</sup>-25) *τῆ δ' τῆς Τυροφάγου* (Triodium, ed. Romae 1879, p. 62-63, 64); — (ff. 25-27) *τῆ παρασκ. τῆς Τυροφάγου* (p. 80-81, 84); — (ff. 27-30<sup>v</sup>) *τῆ β' τῆς α' ἐβδομάδος* (p. 123-125, 131-132), (ff. 30<sup>v</sup>-34) *τῆ γ'* (p. 151-152, 153-155), (ff. 34-37<sup>v</sup>) *τῆ δ'* (p. 167-168, 169-171), (ff. 37<sup>v</sup>-41) *τῆ ε'* (p. 184, 185-187), (ff. 41-46) *τῆ παρασκ.* (p. 200-201, 203-206); — (ff. 46-49<sup>v</sup>) *τῆ β' τῆς β' ἐβδομάδος* (p. 253, 254-256), (ff. 49<sup>v</sup>-52) *τῆ γ'* (p. 261-262, 263-264), (ff. 52<sup>v</sup>-55) *τῆ δ'* (p. 269-270, 271-272), (ff. 55-59<sup>v</sup>) *τῆ ε'* (p. 276-277, 278-280), (ff. 59<sup>v</sup>-63) *τῆ παρασκ.* (p. 285-286, 287-289); — (ff. 63-67<sup>v</sup>) *τῆ β' τῆς γ' ἐβδομάδος* (p. 307-308, 309-311), (ff. 67<sup>v</sup>-70<sup>v</sup>) *τῆ γ'* (p. 316-317, 318-319), (ff. 70<sup>v</sup>-73) *τῆ δ'* (p. 324, 326-327), (ff. 73-76<sup>v</sup>) *τῆ ε'* (p. 331-332, 333-335), (ff. 76<sup>v</sup>-80) *τῆ παρασκ.* (p. 340-341, 341-343); — (ff. 80-83) *τῆ β' τῆς μέσης ἐβδομάδος* (p. 371, 372-374), (ff. 83-86<sup>v</sup>) *τῆ γ'* (p. 379-380, 381-383), (ff. 86<sup>v</sup>-89<sup>v</sup>) *τῆ δ'* (p. 373-394, 396-399), (ff. 89<sup>v</sup>-92<sup>v</sup>) *τῆ ε'* (p. 401-402, 403-404), (ff. 92<sup>v</sup>-95) *τῆ παρασκ.* (p. 414-415, 415-416); — (ff. 95<sup>v</sup>-98) *τῆ β' τῆς ε' ἐβδομάδος* (p. 439-440, 441-442), (ff. 98-101) *τῆ γ'* (p. 446-447, 448-450), (ff. 101-104) *τῆ δ'* (p. 455-456, 461-462), (ff. 104-108) *τῆ ε'* (p. 492-493, 494-496), (ff. 108-111<sup>v</sup>) *τῆ παρασκ.* (p. 501-502, 504-505); — (ff. 112-117) *τῆ β' τῆς ζ' ἐβδομάδος* (p. 540-541, 542-545), (ff. 117-120) *τῆ γ'* (p. 550, 551-553), (ff. 120-124<sup>v</sup>) *τῆ δ'* (p. 558-559, 561-563), (ff. 124<sup>v</sup>-127<sup>v</sup>) *τῆ ε'* (p. 568, 570-571), (ff. 127<sup>v</sup>-133) *τῆ παρασκ.* (p. 576-577, 579-582), (ff. 133-135) in vigilia Palmarum (p. 602-604); — (ff. 135-139<sup>v</sup>) *τῆ ἀγία καὶ μεγάλη β'* (p. 624-625, 625-627), (ff. 139<sup>v</sup>-142<sup>v</sup>) *τῆ γ'* (p. 634-635, 636-637), (ff. 142<sup>v</sup>-146<sup>v</sup>)

τῆ δ' (p. 644-646, 646-648), (ff. 146<sup>v</sup>-151) τῆ ε' (p. 658-659, 660-663), (ff. 151-155<sup>v</sup>) τῆ παρασκ. (p. 684, 704-706), (ff. 156-183) in sabbato sancto (p. 734-735, 738-760); — (ff. 183-184<sup>v</sup>) in vigilia Ascensionis (Pentecostarium ed. Romae 1883, p. 308-309); — (ff. 184<sup>v</sup>-186<sup>v</sup>) in vigilia ss. Patrum (p. 334-336); — (ff. 186<sup>v</sup>-189) in vigilia Pentecostes (p. 391-393); — (ff. 189-191) in vigilia sanctorum omnium (p. 443-445). Lectionibus singulis adiunctae sunt troparia, *προκειμένα*.

<sup>2</sup> pro festis immobilibus et diversis solemnitatibus lectiones utriusque Testamenti eadem notatione auctae, scilicet (ff. 191-195) sept. 1. 8. 14. 26; (ff. 195-197<sup>v</sup>) octobr. 26 *eis τὸν σεισμόν*; (ff. 197<sup>v</sup>-205<sup>v</sup>) nov. 8. 13. 21; (ff. 206-209) ianuar. 1. 25; (ff. 209-211<sup>v</sup>) febr. 1; (ff. 211<sup>v</sup>-213) mart. 25; (ff. 213-214<sup>v</sup>) maii 11 *eis τ(ῆν) γεν(ε)θ(λιον) τῆς πόλεως*; (ff. 214<sup>v</sup>-220) iun. 24. 29. 20; (ff. 220-224<sup>v</sup>) august. 6. 15. 29; — (ff. 224<sup>v</sup>-226) *eis ἐγκαίνια ναοῦ*; — (f. 226) iul. 6 *τῆ παραμονῆ τῆς μνήμης τῶν χλ'... ἐν Χαλκηδόνι*; — (ff. 226-227<sup>v</sup>) august. 16 *ἡ πα(ρα)μονῆ τῆς μνήμης τῆς γινομένης διὰ τὴν ἐπέλευσιν τῶν βαρβάρων*, des. abrupte. De ratione lectionum, vide A. Rahlfs, *Die alttestam. Lektionen d. griech. Kirche*, 1915 (= *Mitteilungen des Sept.-Unternehmens*, Heft 5), p. 126-146.

Folia quattuor ex codice eiusdem aetatis (coll. 2, linn. 33) avulsa et in custodiam addita, totidem fragmenta praebent vitae s. Spiridonis, hoc ordine legenda: (f. 228<sup>r-v</sup>) *εὐλογίαν αὐτοῦ διὰ τῶν ἕτεῶν — ἐνόμιζεν τὸν ἅγιον παραμυθείας* (= cod. 803, f. 97 col. int. lin. 11 ab imo — f. 97<sup>v</sup> col. ext. lin. 7 ab imo), (f. 229<sup>r-v</sup>) *προσ]ήνεγκα. ταῦτα εἰπόντος — συνέτρεχον πάντες* (803, f. 99<sup>v</sup> col. int. lin. 14 — f. 100 col. ext. lin. 16), (f. 1<sup>r-v</sup>) *θαύματος. ταῦτα γὰρ καθ' ἑαυτὸν — οὐκ ἔδωκας τὴν τιμὴν αὐ[τοῦ* (803, f. 106 col. int. lin. 9 ab imo — f. 106<sup>v</sup> col. int. lin. 3), (f. 2<sup>r-v</sup>) *ἀπελθὼν εἰς τὸν ἴδιον οἶκον — πατὴρ ἡμῶν ἐ[παυεῖ* (803, f. 108<sup>v</sup> col. int. lin. 6 ab imo — 109 col. ext. lin. 3 ab imo).

Liber magna cura descriptus, quem efficiunt hodie fasciculi viginti novem in prima et ultima singulorum pagina notis instructi, quaterniones (si excipias *θ'* foliorum novem, *κδ'* et *κς'* terniones, *κθ'* nunc foliorum quattuor ceteris perditis) atque folia additicia quattuor.

Inscriptiones, notatio, litterae initiales rubro colore appictae; initiales maximae multicolores, ornamentum frontis (f. 3) humore inquinatum, margo exterior f. 99 ferro decurtatus.

Tabulae anteriori aversae glutine adhaeret syllabus anno 1550 posterior (*Horologium* | 6 [cancell.]. 804), subter iteratus.

Integumenti tabulis corio rubro saec. XVIII obductis agglutinatum est dorsum novum, in quo tesserae gentiliciae Pii IX et A. Mai card. bibliothecarii.

**769** (olim 510). Saec. XIV-XV, chartac., mm. 290 × 220, ff. 351 (+ 185<sup>a</sup>), coll. 2, linn. 30-41.

